Caput III.

B. De versuum ordine turbato.

Exemplis huius vitii supra pp. 7 et 13 propositis haec addo nova: In Troadum cantico v. 814 sq. captivae in quamlibet hostium regionem, quam Spartam, Argos, Mycenas, Ithacam, utpote in patrias hostium prae ceteris invisorum, abduci se malle profitentur. Atque in locorum recensu poetam nomina tantum non omnia ex Homerico navium catalogo desumpsisse cum alii viderunt, tum R. Peiper accuratius indicavit (Observat. p. 10 sqq.). Idem cum totum carmen versuum vel ordine turbato vel iactura facta pessime defoedatum esse conatus sit demonstrare, F. Leo (I, 202 n. sq.) longe aliter sentiens omnia nimirum praeter unum locum in quo versum excidisse Scaliger viderit, recte decurrere sibi persuasit. Quorum quoniam prorsus assentiri possum neutri, quid mihi statuendum videatur ipsi, breviter indicabo. Atque prima quidem stropha, quae per undecim sapphicos decurrit hendecasyllabos adonio clausos, uno versu excepto (820) nulla nisi Thessaliae loca commemorantur, ut permirum sit, versu modo significato Cretae mentionem fieri. Nam quin Gortynida insequenti versu cum Tricce Thessaliae oppido copulatam cum Gyrtone B 738 commemorata confuderit, vix dubium est, praesertim cum ei quem in servandis Homericis epithetis diligentem fuisse recte Peiper observavit, urbem moenibus circumsaeptam (*τειχιόεσσαν*) non licuerit parvam appellare. Et recte Leo p. 202: 'Gortynida ut novum nomen post Cretam inseruit.' Nulla igitur ab hac parte defensio parata est commemorationi Cretae v. 820 factae. Eam nullo pacto ferendam esse statuo. Nec ea quae Leo ad recte diiudicandas in hoc poeta geographicas ineptias affert, etsi vera sunt, ad illum versum defendendum valent.

Rectissime monet vir doctus, id quidem cum suae aetatis poetis commune habere tragicum, ut nomina geographica ursurpet de veritate aut ratione securus, id quod multifaria docet exemplorum copia allata. At non eis excusatur huius loci inconcinnitas. Nam eiusmodi sunt allati a Leone errores, ut aut merae scriptoris inscitiae vel neglegentiae tribuendi sint, ut Gortynis pro Gyrtone posita, aut rhetoricae amplificationis studio inserviant. Nam quod a Capharea rupe conspici posse dicitur Lemnos, Chalcedon, Aulis (Ag. 566), quod furiam Mycenis Tantalum iubet animadvertere, quam ferant moleste Isthmus Lerna, Inachus Alpheus Cithaeron illius praesentiam (Thy. 112) et quae sunt similia, ita omnia sunt comparata, ut veritatem consulto poeta mirifice excessisse putandus sit ad animos audientium ipsa rerum portentosa admirabilitate concutiendos. Nec magis quam poetae ipsi, illius aetatis homines a veri et pulchri sensu dudum desuefacti fidem et veritatem rerum curabant. At hoc quidem loco neque erroris coargui poeta potest — an Cretam esse insulam, non Thessaliae pagum vel nesciisse eum vel consulto neglexisse putabis? — neque in locorum nuda enumeratione mirabile quicquam efficere voluit. Nam etsi in sequentibus strophis ea quae cognata sunt consulto nonnumquam separavit, id quod eum fecisse mox videbimus, tamen in prima legitimi rerum et locorum ordinis diligenter curam habuit.

Aliud autem est in prima stropha quod iustam praebeat offensionis materiam. De Mothone oppido sub Pelion montem in Magnesia paeninsula sito haec dicuntur: 'Quae sub Oetaeis latebrosa silvis Misit infestos Troiae ruinis Non semel arcus.' In hoc non id aegre fero, quod Mothonem sub Oeta esse voluit, sed hoc mihi non persuadeo, poetam mythorum peritissimum Herculis arcum non Trachine, sed Mothone arcessi voluisse ad Troiam expugnandam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Neque egemus ad has ineptias expellendas artificiosa vel Gronovii enuntiatorum distinctione, vel Peiperi ad Philoctetae regnum usque ad Mothonem et Meliboeam pertinens delegantis interpretatione, neque *Ossaeis* pro *Oetaeis* scribentium coniectura, et ipsa ad Mothonem minime apta. Omnia in clara luce ponuntur expulso v. 820 et interpositis v. 816—818 inter v. 822 et 823.

Non semel v. 825 cum adiectivo *infestos* coniungenda esse post Delrionem monuit Peiper. Mothonen quo iure levibus rivis frequentem poeta dixerit, quoniam nemo adhuc explicavit, doceat Bursian I, 102 coll. Scyl. perioch. 65, Strab. VIII p. 436.

Versum ex hac stropha depulsum, utrum interpolator vetus ex B 649 (*ἄλλοι θ' οἳ Κρήτην ἑκατόμπυλον ἀμφενέμοντο*) finxerit (non tamen potuit v. 839 dittographiam ad v. 840, id quod Leonem p. 202 n. contendere miror), an ex alio cantici loco huc per errorem sit delatus, forsitan dubitari poterit. Tamen cum ipse nihil habeat quod dubitationem moveat, hoc probabilius est. Et circumspicienti, ubi olim extitisse credi possit, unus occurrit locus isque apprime aptus post v. 836. Qui quamquam in strophae initio positus, cum pro altero sit eius quae v. 829 sq. legitur interrogationis membro accipiendus (a priore molesta quidem parenthesi seiuncto), cumque sequens versus (v. 837) idem ab interrogativa particula incipiat, versus ille cui amissam patriam recuperare studemus, hoc loco interpositus cum v. 820 prius efficit novae interrogationis membrum:

Vrbibus centum spatiosa Crete,
an premens litus maris inquieti
semper Euripo properante Chalcis?

quo fit, ut Creta Euboeae apte opponatur.

Iam cetera videamus. In quibus tametsi certum est, ea quae rerum et locorum natura cohaerent mirum in modum a poeta esse discerpta, tamen quin consulto rem ita instituerit nullus dubito. Homericum enim descriptionis ordinem quisquis cum ordine quem in Troadum cantico poeta secutus est diligenter comparaverit, Leoni assentietur statuenti, operam dedisse poetam, ut pristinum Boeotiae ordinem prorsus turbaret. Nam et incipit ab ea parte, quam in fine catalogi uberrime exposuit vetus Iliadis interpolator, et singula huius descriptionis loca ordine plus minusve immutato profert, multa omittit, non nulla addit. Neque voluisse eum in medio quidem carmine certum quendam ordinem geographicum sequi, ostendunt diversa regionum loca eodem versu vel plurium complexu ita copulata, ut separari nullo artificio possint. Maxime autem in Thessaliae regionibus adumbrandis fraudis dissimulandae studiosus fuit. Quo factum est, ut ampliore eius provinciae parte in prima stropha descripta, ceteras partes diversis deinceps locis interponeret.

Tertiae strophae vv. 836—843 nihil habent offensionis, nam Peparethon ex Sophoclis Philocteta desumptam quin Seneca cum Sophoclis scholiasta pro Atticae pago habuerit, procul dubio est (Leo l. c., ac ne Peiperum quidem fieri id potuisse fugit), ut non sit quod de scriptura dubitemus. In sequentibus tamen gravis patet corruptela, nam mutata subito interrogationum structura, ita pro nominativis ponuntur accusativi, ut unde pendeant dispici omnino nequeat. Quam difficultatem quomodo probabiliter expediam non habeo. Maioris tamen partis cantici et ordine et scriptura acquiesco tali:

Quae vocat sedes habitanda captas?
815 Thessali montes et opaca Tempe,
819 an maris vasti domitrix Iolcos?
821 parva Gortynis sterilisque Tricce

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

822 an *(ac?)* frequens rivis levibus Mothone? (.)
816 an viros tellus dare militares
aptior Phthie meliorque fetu
fortis armenti lapidosa Trachin,
823 quae sub Oetaeis latebrosa silvis
misit infestos Troiae ruinis
825 non semel arcus?

Olenos tectis habitata raris,
virgini Pleuron inimica divae,
an maris lati sinuosa Troezen?
Pelion regnum Prothoi superbum
830 tertius caeli gradus? (hic recumbens
montis exesi spatiosus antro
iam trucis Chiron pueri magister,
tinulas plectro feriente chordas,
tunc quoque ingentes acuebat iras
835 bella canendo)

836 An ferax varii lapidis Carystos?
820 urbibus centum spatiosa Crete,
837 an premens litus maris inquieti
semper Euripo properante Chalcis?
quolibet vento faciles Calydnae,
840 an carens numquam Gonoessa vento
quaeque formidat Borean Enispe?
Attica pendens Peparethos ora,
an sacris gaudens tacitis Eleusin?

In Herculis Oetaei cantico v. 1031 sqq. quo chorus Orphei artem celebrat vel inferos sonorum dulcedine delinientis et flectentis, cum alia vitiose tradita sunt, tum hi versus (1079 sqq.):

sic cum inquirens (sic E, linqueret A) inferos
Orpheus carmina funderet (sic E, fundens A)
et vinci lapis improbus
et vatem potuit sequi,
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Corruptelam sincere reddit E, interpolatione oblimavit A. Non enim Eurydice ad vitam revocatur cum iam linqueret Orpheus inferos, sed tum demum vates ex orco discedit, cum desiderata coniunx vitae reddita est. Accedit v. 1080 perperam ad similitudinem v. 1060 refictus, qui quidem ut ferri omnino possit, cum in clausula positus sit, aliquam excusationem habet. Hoc autem postulat sententia, ita flexos carminum vi esse inferorum deos, ut voto vatis cederent. Quare nescio an scriptum fuerit:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sic cum *vinceret* inferos
Orpheus carmin*e* fund*itus*
(vel cum Bentleio: carmina *dividens*)

vel etiam sic:

Sic cum *quaereret* inferos
O. carmin*e* *flectere,*
consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Nam quod Peiper ex Boetio l. III c. 12, 21 repetendum sibi putavit 'carmina *temperans*', vereor ut latinum sit, quoniam modos vel citharam temperare aliquis recte dicitur, carmina temperare non item. Neque Boetius hunc cantum ita in usum suum convertit, ut multa immutata reciperet; imo pauca ad verbum repetiit, plurima variavit. Ceterum conicio loco allato eum scripsisse: chord*as* carmin*e* temperans.

Qui intercedunt v. 1081 sq. de Sisyphi, ut recte monuit Gronovius, lapide loquentes, hic falso loco legi et coniungendos esse cum eis quae antecedunt, res ipsa postulat. Quare vel cum Peipero post v. 1071 inserendi sunt vel post v. 1078. Ordinem etiam concinniorem habebimus versibus 1072—74, quorum primus a Birtio scite emendatus est, ante 1079 collocatis. Ita enim recte procedit oratio, ut a delinitis vatis carminibus damnatorum laboribus ad Orci satellitem, inde ad ipsos infernae sedis deos ascendat. Totius igitur loci imaginem in ordinem redacti, nisi malueris neglegentiae et socordiae poetae ea quoque tribuere, quae facili emendatione conciliari possunt, hanc fuisse putabis:

1068 haesit non stabilis rota
victo languida turbine,
increvit Tityi iecur,
1071 dum cantu volucres tenet,
1081 et vinci lapis improbus
1082 et vatem potuit sequi.
1075 tunc primum Phrygius senex
undis stantibus immemor
excessit rabidam sitim
1078 nec pomis adhibet manus.
1072 au*dis tu* (Audito *codd.*) quoque navita:
inferni ratis aequoris
1074 nullo remigio venit.
1079 Sic cum *vin*ceret inferos
1080 Orpheus carmin*e* fun*ditus,*
1083 consumptos iterum deae
supplent Eurydices colus.

Idem Birtius, qui v. 1072 supra allatum feliciter emendavit, in v. 1099 vitium latere primus perspexit. In eo autem est summa huius carminis, ut nemini non moriendum esse confirmetur:

1097 Nulli non avidi colus
Parcas stamina nectere.
Quod natum est *poterit* mori.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Belle nimirum se haberet, si cui ut nasceretur contigit, mori idem posset quidem, non deberet. Quod Birtius restituit — quem secutus est Leo — 'quod natum est, *quod erit,* mori', commate post *nectere* posito, litteris quidem aptissimum est, sed duram efficit structuram et imminuit sententiae virtutem. Imo v. 1099 pro clausula habendus est cantus Orphei, fortiter complectens eam sententiam, quo omnis redit huius cantici vis, omnibus scilicet esse mortis necessitatem impositam. Scribe igitur: Quod natum est, *opus est* mori. Hoc vere cecinisse vatem Thracium, devictum iubere Herculem.

Phaed. 465—480. Singula leti genera male enumerari post commemoratam universam generis humani internecionem F. Leo cum intellegeret, convenientem sententiarum ordinem ita restituendum censuit, ut v. 475—80 inter v. 465 et 466 interponeret, versu 477 *fata* mutato in *ista*. Sed hoc molestum habet haec dispositio, quod v. 467 fatorum mentio nihil habeat in praecedentibus quo referri possit. Quare praestat eum sequi versuum ordinem, quem olim indicavi:

475 quam varia leti genera mortalem trahunt
476 carpuntque turbam, pontus et ferrum et doli.
466 providit ille maximus mundi parens,
cum tam rapaces cerneret Fati manus,
468 ut damna semper subole repararet nova.
477 Sed fata credas desse: sic atram Styga
iam petimus ultro — caelibem vitam probet
sterilis iuventus: hoc erit quidquid vides,
480 unius aevi turba et in semet ruet.
469 excedat agedum rebus humanis Venus,
470 quae supplet ac restituit exhaustum genus:
orbis iacebit squalido turpis situ,
vacuum sine ullis *piscibus* stabit mare
alesque caelo derit et silvis fera,
solis et aer pervius ventis erit.

v. 473 *piscibus* recte restituit pro '*classibus*' Leo, eadem emendatione etiam a Bentleio inventa.

Vt hoc loco sic etiam in cantico polymetro v. 736 sqq. v. 753—760 post v. 819 recte olim a me collocatos esse nunc quoque mihi persuasum est. Nam artissimo sententiarum vinculo cohaeret cohortatio v. 758—60 expressa (ne vultus nimium suspicias tuos) cum finali sententia, raris formam viris impunitam fuisse. Commendatur autem haec versuum dispositio copulatis denuo numeris, qui turbato versuum ordine male dirempti erant.

Oedipi versus 634—641 pessime turbati non dubium est quin sic sint in ordinem redigendi:

sed rex cruentus (sc. patriae nocet), pretia qui saevi necis
635 sceptra et nefandos occupat thalamos patris
638 egitque in ortus semet et matri impios
fetus regessit quique, vix mos est feris,
640 fratres sibi ipse genuit — implicitum malum
magisque monstrum Sphinge perplexum sua.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

636 invisa proles: sed tamen peior parens
quam natus, utero rursus infausto gravis.

Hoc quidem fateor, verba *invisa proles* hoc loco posita ad fratres quos rex ipse sibi genuit (v. 640), referenda videri, sed primo tantum obtutu, nam quod statim addit Laii umbra, peiorem tamen esse parentem i. e. matrem filio, ilico omnem dubitationem tollit. Multo levior igitur est haec difficultas ac paene nulla, quam quae v. 638 sqq. cum 637 coniunctis oritur, quo fit, ut de matre referantur quae de filio dicenda sunt, quae orationis obscuritas tanta est, ut nullis possit mutati subiecti exemplis ullo modo excusari. Quae sequuntur furentis umbrae verba:

te, te, cruenta sceptra qui dextra geris,
te pater inultus urbe cum tota petam
et mecum Erinyn pronubam thalami traham,
645 traham sonantes (E sonantis) verbera, incestam domum
vertam et penates impio Marte obteram

in eis vexavit interpretes illud *sonantes verbera*. Gronovius proposuit sonan*tem*, N. Heinsius: *torta in*sonantes, de Wilamovitz: *silentes*, verbere, R. Peiper: *torvam* sonantem (coll. v. 590), ipse conieceram: traham *sorores* verbere, sed nescio an ferri possint verba tradita, dum poetam illis furias significare voluisse statuere liceat. Ac sane furiarum esse verbera minari, verbere castigare, nota res est. Quo verberant flagello, sunt angues capillis intorti vel manibus iaculorum more vibrati. Verbera sonant i. e. viperas sonantes quatiunt. Cf. Ov. Met. IV, 491 de Tisiphone: Caesariem excussit. Motae sonuere colubrae — Sibila dant saniemque vomunt linguasque coruscant. De eadem Verg. A. VI, 569: Continuo sontis ultrix accincta flagello Tisiphone quatit insultans torvosque sinistra Intentans anguis vocat agmina saeva sororum. Thy. 96: Quid ora terres verbere et tortos ferox minaris angues? Et supra 590: tum torva Erinys sonuit.

Agam. 310—325. De hoc loco rectius constituendo olim disputavi Mus. Rhen. XVIII, 40 sqq., vera falsis miscens. Quae nunc recolere non est in animo. Ac locum iterum atque iterum retractanti non id quidem contigit, ut talem qualis est in codicibus traditus penitus intellegerem, hoc tamen assequerer, ut faciliorem quam antea emendandi viam invenisse mihi viderer. Nam quod nullo modo ferendum esse Leo quoque concessit, Thebanam pubem bis invitari ad choros comitandos et ita quidem, ut quasi diversae inducantur (v. 316. v. 320 sq.), id excogitavi tolli posse, dum v. 316 loco verborum *Thebais hospes* restituatur: Thes*pias* hospes. Ad Apollinis laudes canendas praeter Thebanas etiam Thespienses virgines aptissime invitari consentaneum est. Thespiis enim, quas vetus poeta bellorum Persicorum aetate choris florentem appellat (Steph. Byz.: *καὶ ἐπίγραμμα τῶν ἀναιρεθέντων ὑπὸ τῶν Περσῶν. ἦν δὲ Φιλιάδου Μεγαρέως· ἄνδρες τοί ποτ' ἔναιον ὑπὸ κροτάφοις Ἑλικῶνος λήματι τῶν αὐγεῖ Θεσπιὰς εὐρύχορος*), cum Cupidinis (quod hic nihil attinet) tum vero Musarum cultu insignes fuisse atque monumenta ludorumque et certaminum sollemnitates sacro Apollinis choro instituisse, scriptores et tituli testantur. cf. Pausaniam 31,3 et hos titulos ad Musarum sacra Thespiensia spectantes C. I. G. 1585. 1586. 1590. 1631. At dixerit aliquis, loco sic disposito ea quae vel regionum vicinitate, vel stirpis necessitudine iungenda sint divelli, copulari quae tali vinculo careant. Incipi enim enumerationem ab Argivis (Stirps Inachia), transire ad Thespias Boeotiae urbem, tum ad Erasini accolas, sive Arcades sive Argivos interpretari malueris, inde ad Spartanos, denique ad Boeotiam redire

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Thebanis advocatis. Molesta sane Boeotiae civitatum separata commemoratio. Molestior esset, si Erasini accolae recte a Bothio pro Mycenaeis accepti essent. Tum enim tres illas urbes Iunoni prae ceteris gratas, Argos nimirum, Mycenas, Spartam Δ, 52) coniungere voluisse dixeris poetam recteque Bothium cum Strabone Erasinum cum Inacho coniunxisse interpositis v. 316—17 inter v. 321 et 322. At Erasinos in diversis Graeciae regionibus fuisse constat (Mus. Rh. l. c.) neque demonstrari potest, poetam alium aliquem praeter Argivum significare noluisse. Perpendas etiam Bothiana ista versuum dispositione recepta quam Leo amplexus est, quam dura evadat et contorta periodi conformatio: quaeque — bibis Ismenon, tu quoque nostros, Thebais hospes, comitare choros. Mea coniectura, si vera esse censebitur, poeta suam in geographicis nominibus proferendis licentiam (cf. quae supra p. 25 disputavimus) secutus, sed dilucida oratione usus esse iudicabitur. Videant alii uter versuum ordo magis arrideat, Bothianus an hic:

Canite o pubes inclita Phoebum!
tibi festa caput
turba coronat, tibi virgineas
laurum quatiens,
de more comas innuba fudit
315 stirps Inachia.
tu quoque nostros, The*spias* hospes,
comitare choros.
quaeque Erasini gelidos fontes
quaeque Eurotan
320 quaeque virenti tacitum ripa
bibis Ismenon,
quam fatorum praescia Manto
sata Tiresia,
Latonigenas monuit sacris
325 celebrare deos.

Caput IV.

C. Verborum corruptelae quaedam emendantur.

Troades 203 sqq. Locum ineptiis interpolatoris pessime defoedatum dudum ope Florentini codicis emendavit Gronovius, ut sic legatur in omnibus post eum editis:

Cum laeta pelago vela rediturus dares,
excidit Achilles cuius unius manu
impulsa Troia, quidquid adiecit morae
illo remoto, dubia quo caderet stetit.

Vera est Gronovii interpretatio: 'cuius manu in occiso Hectore labefactata Troia quicquid superfuit post mortem Achillis (hoc enim est: illo remoto) non stetit firma et nixa vestigiis suis, sed extraxit breve momentum titubando, dubitando et quasi deliberando, quam in par-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tem procumberet', nisi quod illud *adiecit* subtilius quam verius explicavit. Quidquid enim morae post Achillem mortuum urbi excidio destinatae superfuit, id non ipsa adiecit, sed fortunae munere ei condonatum est. Quare scribendum est:

quicquid *accessit* morae
illo remoto, dubia quo caderet stetit.

Troad. 766—770. Haec sunt Andromachae de destitutis quae de Astyanacte filiolo conceperat votis coram Vlixe conquerentis:

O dulce pignus, o decus lapsae domus
summumque Troiae funus, o Danaum timor,
genetricis o spes vana, cui demens ego
laudes parentis bellicas, annos avi
770 *medios* precabar, vota destituit deus,

Medios annos inepte eam precatam esse quis est quin sentiat? Recte igitur F. Leo corruptelae signum addidit; coniecturam proposuit hanc: *toties* precabar. Ego coniectaveram: *divos* precabar, sed dubito an mutatus sine causa numerus (divos deus) ferri possit. Iterata meditatione in mentem mihi venit, elegantem fore hoc loco vocabuli *demens* repetitionem, in qua optime destitutae expectationis dolor exprimitur:

cui *demens* ego
laudes parentis bellicas, annos avi
demens precabar e. q. s.

Rhetoricae repetitionis poetae maxime adamatae exempla habes apud Smithium p. 81 sqq.

Troad. 632 sq. Verba Andromachae, se metu terreri non posse coram Vlixe affirmantis sic sunt tradita:

Vtinam timerem. solitus ex longo est metus:
dediscit animus *sicre* (E, *sero* A) quod didicit diu.

Interpolatorem veterem corruptelam obliterasse, non sanasse patet. Non hoc dicit Andromache, sero dediscere animum quod diu didicerit, sed dediscere omnino. Ocius an serius, non attinet. Adeo dudum timori adsuevi, ut timere non iam possim. Fieri nimirum longa timoris et periculi consuetudine, ut timere et metuere omnino dediscamus. Vnde sequitur, in corrupto vocabulo adverbium latere rem ut vulgo notam denotans. Id non assecutus est F. Leo, qui scripsit '*saepe*' neque id confirmatur eis quae I, 9 n. 9 dicit, sententia tamen recte explicata. Quod Birtius proponit '*facere*' nihil addit sententiae necessarium; possis cogitare de adverbio *facile*, quod ad idem prope rediret atque Leonis coniectura. Mihi, quamquam non ad litteras traditas, tamen ad colorem sententiae multo aptius videtur *nempe* particula

dediscit animus *nempe* quod didicit diu

Eiusdem haec leguntur verba ad Vlixem data v. 787 sq.:

Lacrimis, Vlixe, parva quam petimus mora est.
Concede *paucas* (sic E, parvos A) ut mea condam manu
viventis oculos.

Paucas lacrimas concedi inepte dicitur, nam quis lacrimas numerat? Coniecerunt commate post imperativum posito vel *pavidos* (vel *patulos* vel *apertos*), ut N. Heinsius, vel *opacos*, ut Peiper, vel

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

immutata distinctione *precibus*, ut Bentleius. Mihi persuasissimum est, poetam scripsisse:

Concede *patiens*, ut mea condam manu
viventis oculos,

quemadmodum Andromache v. 694 precata erat:

miserere matris et preces placidus pias
patiensque recipe.

Med. 19 sqq. Medea deas sceleris ultrices invocat ad Iasonis perfidiam ulciscendam:

adeste, thalamis horridae quondam meis
quales stetistis: coniugi letum novae
letumque socero et regiae stirpi date

Quid vero diri sceleris auctori imprecetur ipsi, sic indicat, si codicibus fides habenda est:

mihi peius aliquid, quod precer sponso malum,
vivat.

Id sic interpretatur Gruterus, ut 'est' suppleat, 'quod ad Iasonem spectet; non indigere se opera furiarum, esse enim sibi ad manum, quod ei imprecetur omni malo peius.' Sed cum prius membrum sententiae bipartitae a dativo incipiat, qui ab imperativo pendet (coniugi — date), posterius idem a dativo exordiatur, praedicato autem careat, postulare videtur lex orationis, ut ad alterum dativum verbum ex priore membro intellegatur: 'Coniugi letum date, mihi date peius aliquid.' Hac, nisi fallor, difficultate commotus est F. Leo, ut finali distinctione post 'date' posita in sequenti versu pro *malum* scriberet *manet*:

letumque socero et regiae stirpi date.
mihi peius aliquid, quod precor sponso ma*net*:
vivat.

Haec emendatio aptam reddit sententiam, non tamen eiusmodi est, ut aliter oratio stare nequeat. Totus autem contextus versuum inde a v. 14 ad invocatas spectat furias. Quo fit ut in pronomine vitiumlatere suspiceris. Nescio an sic evadat sententia rhetorico huius loci colori magis conveniens:

letumque socero et regiae stirpi date,
date peius aliquid, quod precer sponso malum.

'Mihi' e glossa ortum. Simillimus est Phoenissarum locus v. 450: dexteras matri *date, Date* dum piae sunt. cf. etiam Med. 299: sacra me thalami *vocant Vocat* precari festus Hymenaeo dies. Oed. 644: et mecum Erinyn pronubam thalami *traham, Traham* sonantes verbere. Quae Smithius addere debuit exemplis de epanastrophae figura p. 79 congestis.

Med. 194. 195. Medea a Creonte propere in exilium abire iussa quaerit, quod tandem crimen aut quam culpam exilio multandam censeat. Respondet rex, sic quaerere nemini licere nisi innocenti. Contra dicit Medea: 'Si iudicas, cognosce, si regnas, iube,' cui Creo: 'Aequum atque iniquum regis imperium feras.' Sic codices. Leo ita locum emendandum duxit, ut versu 194 inter Creontem et Medeam sic diviso:

M. Si iudicas cognosce. Cr. Si regnas iube

versum proximum ut spurium deleret. At recte se habet traditus ordo. Medea distinguit inter iudiciariam regis potestatem et ipsum ius imperii. In iudicando, inquit, opus est cognitione, in regnando, i. e. in administranda re p., imperio. Creo hanc distinctionem nihili faciens respondet, regis simpliciter esse imperare, subditorum obedire, sive aequa sive iniqua sint imperia.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Medea de Argonautis sua ope ab interitu servatis glorians in eorum numero Orpheum quoque et Iovis iuvenes recenset:

munus est Orpheus meum,
qui saxa cantu mulcet et silvas trahit;
230 geminumque *munus* Castor et Pollux meum est.

Non erat quod cum D. Heinsio F. Leo scriberet: 'gemin*i*que munus C. et P. m. e.' Nam id ipsum indicare videtur tradita scriptura hypallages figura. Nec tamen dubius sum, quin poeta scripserit:

geminumque *numen* Castor et Pollux meum est (sc. munus).

Sic v. 700 Letoidas gemina numina vocat: lacessere ausus gemina Python numina.

Ibd. v. 318: Ausus Tiphys pandere vasto
carbasa ponto
legesque novas scribere *ventis*.

Ventis leges scribere i. e. ventos imperio domare. Tamen quas deinde leges poeta affert — lina sinu toto tendere, prolato pede notos captare, antennas modo medio malo ponere, modo in supremo religare — eas patet non ventis sed ipsis nautis scribi. Quare aut ratiocinatio me fallit aut scribendum est:

legesque novas scribere *nautis*.

Opponitur autem navigationi praeter oras tantum et litora ante factae navigatio transmarina quam Tiphys auspicatus est. Cf. infra v. 331: sua quisque piger litora tangens. Phaed. 530: nondum secabant credulae pontum rates: Sua quisque norat maria.

Ibid. 407—414. Medea ad vindictam properans nullam posse naturae violentiam cum suo odio et furore comparari explicat hisce versibus:

quae ferarum immanitas,
quae Scylla, quae Charybdis Ausonium mare
Siculumque sorbens quaeve anhelantem premens
410 Titana tantis Aetna *fervebit* minis?
non rapidus amnis, non procellosum mare
pontusve coro saevus aut vis ignium
adiuta flatu possit *inhibere* impetum
irasque nostras: sternam et evertam omnia.

Duarum vocum cursivis litteris impressarum priore offendit Madvigius, posteriore F. Leo, utramque sanam esse et sententiae convenientem ego statuo. Ac Madvigio scrupulum movit tempus futurum, cum Medea futurum suum furorem non cum aliis futuris rebus, sed cum iis quae unquam fuerint cognitaeque sint vehementissimae, comparare debeat. At hoc indicat Medea, ne Scyllam quidem et Charybdim, non Aetnam, si velint certare cum spretae mulieris crescenti furore, eius vim esse aequiperatura. Ceterum quod proposuit Madvigius: '*ferbuit* minis,' id vitio laborat metrico, nam in quinta sede iambum constat Senecam non admisisse nisi perpaucis exemplis quibus omnibus singularis natura est (B. Schmidt De emend. Senecae trag. rationibus pros. et metr. p. 53 sq. Luc. Mueller de metris poet. lat. p. 149, ego de Sen. trag. auct. p. 16 n. 2); de quibus utcumque iudicium tibi erit, id certe concedes, hunc pedem e coniectura non intrudi debere poetae, id quod Madvigius etiam v. 515 praetermisit. Pergit Medea, non rapidum amnem neque aliam quandam

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vim *inhibere* posse suum impetum suasque iras, ut hic sit sententiarum ordo: Meam iram nulla vis externa aequabit, nedum inhibebit (inhibebit, ne aequabit quidem). Quare non erat quod Leo sic corrigenda putaret tradita verba, ut scriberet: *imitari* impetum.

Phaed. 761 sqq. Chorus hanc sententiam explicaturus, formam hominibus anceps esse bonum remque fugacem, incipit a similitudine a rerum natura repetita:

Non sic prata novo vere decentia (A: vere novo pr. d.)
765 aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis (praecipitat codd., corr. Gronov.)

Hi versus ad ea quae praecedunt referendi sint quaeritur, an ad sequentia. Cum illis si coniuncta putamus, haec est sententia: Velociter labitur forma hominibus. Non minus velociter quam pratis florum nitor et varietas colorum plena. Sic sane coniungere licet. Nihil tamen impedit, ne v. 764 — 68 prodosin accipiamus comparativae cuiusdam periodi, si ea quae sequuntur aptam efficiunt apodosin. Sequuntur autem hi versus:

languescunt folio *ut* (ut *om.* A.) lilia pallido
et gratae capiti deficiunt comae (rosae A)

Hoc alterum comparationis membrum non esse patet. Non enim flores cum floribus comparantur, sed velox florum defectus cum celeri formae humanae interitu. Ad hanc rem certissimum est spectare v. 770—72:

ut fulgor teneris qui radiat genis
momento rapitur nullaque non dies
formosi spolium corporis abstulit.

Neque minus dubium est, quin v. 769 (et — comae) huius comparationis pars sit. Legitimus ordo restituitur permutatis in utroque versu particulis:

ut gratae capiti deficiunt comae
et fulgor teneris e. q. s.

At incommodo est versus proxime antecedens, inter prodosin et apodosin moleste interpositus. Olim eum removi, sed facile cum prodosi coalescet, itidem particula *ut* in *et* mutata. Iam novum accedit temporis aestivi indicium: cum dies longissimi sunt et lilia languescunt:

Non sic prata novo vere decentia
765 aestatis calidae despoliat vapor,
saevit solstitio cum medius dies
et noctes brevibus praecipitant rotis
languescunt folio *et* lilia pallido:
ut gratae capiti deficiunt comae
770 *et* fulgor teneris e. q. s.

Alteram, quam supra significavimus, verba construendi viam ingressus est Leo, qui vv. 764—67 ad praecedentia relatis novam comparationem incipi statuit a. v. 768, distinctione plena post v. 767 (rotis) posita. Sic evadit v. 768 nova periodus, cuius prodosis hoc uno versu continetur, apodosis incipit a sequenti, mutata tantum *ut* in *et* particula. Quae dispositio quamquam ferri potest aliquo modo, tamen neque concinna est neque omni obscuritate vacat propter *et* particulam duobus deinceps versibus diverso sensu accipiendam.

Restat ut iudicium feram de vulgaris recensionis varia lectione supra enotata. Aperta prae se fert correctoris operae vestigia. Qui cum orationem parum quadrare intellegeret, suo more

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

id posuit, quod primo obtutu videretur medelam afferre, nulla subtiliore sententiarum examinatione adhibita, deleta nimirum in v. 768 particula comparativa et proximo versu rosis comarum loco substitutis; voluit igitur utrumque versum cum prodosi coniungi et apodosin demum a v. 770 incipi. Nec hercle conatus feliciter ei cessit. Nam et structurae concinnitatem turbavit exaggerato priore comparationis membro, extenuato posteriore, et id fugientis venustatis signum delevit, quod maxime proprium est aetati in peius propensae. Neque apte dicuntur rosae aestivo tempore deficere, quarum flos et copia tum maxime viget. Grata autem et apta capillorum aetate deficientium cum florum autumno vel hieme senescentium comparatio. Cf. Horat. Ep. I, 7, 25: quodsi me noles umquam discedere, reddes Forte latus, reddes angusta fronte capillos. Ovid.: raptique aetate capilli Vt borea frondes excutiente cadunt. Petron. Sat. 109: cecidere capilli Vernantesque comas tristis abegit hiems. Alio sensu, sed eadem locutione Hor. c. IV, 10: et quae nunc humeris involitant, deciderint comae.

Ibid. 1204 sqq.:

Nunc adeste saeva ponti monstra, nunc vastum *mare*
ultimo quodcumque Proteus aequorum abscendit sinu,
meque ovantem scelere tanto rapite in altos gurgites.

Sententia relativa non potest non referri ad mare, quod adesse iubetur ipsum cum monstris suis. At hoc, quamquam defendi videtur versu 958, tamen absurdum est. Non enim ipsa maria abscondit Proteus, sed immania Neptuni 'Armenta et turpis pascit sub gurgite phocas' (Verg. G. IV, 395). Sunt ipsa ponti monstra, quae rex a Proteo in semet emitti vult, quemadmodum regina v. 1159 sq. precata erat:

Me me profundi saeve dominator freti,
invade et in me monstra caerulei maris
emitte, quicquid intimo Tethys sinu
extrema gestat e. q. s.

et Theseus ipse 957:

effunde pontum, vulgus aequoreum cie
fluctusque ab imo tumidus oceano voca.

Quare proximum vero videtur, poetam scripsisse:

Nunc adeste saeva ponti monstra, nunc vastum *pecus*
ultimo quodcumque Pr. e. q. s.

Cf. Horat. c. I, 2, 5 sq.: Terruit gentes, grave ne rediret Saeculum Pyrrhae nova monstra questae, Omne cum *Proteus pecus* egit altos Visere montes. Alia ratio est Nerei aequora fundo cientis (Verg. A. II, 419). Vix est quod moneam, non posse v. 1205 pro tertio quodam invocationis membro accipi, quasi dicere Th. voluerit 'nunc etiam adsit quodc.' Id vetat omissa particula, quae in tripertito enuntiato anaphorico non debuit omitti. — *Mare* non ex *pecus* corruptum, sed perditae nescio quo casu verae vocis supplementum inepte excogitatum vel ex v. 957 refictum.

Oed. 135 sqq. sic scribendos et distinguendos censeo:

colla tacturus steterat sacerdos:
dum manus certum parat alta vulnus,
aureo taurus rutilante cornu
labitur segnis; patuit sub ictu
ponderis vasti resoluta cervix:

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

140 nec cruor ferrum maculavit, *alta* (atra *codd.*)
turpis *est* (turpi se E turpis e A) plaga sanies profusa (est *add.* A).

Quod Leo edidit: 'nec cruor, ferrum maculavit atra t. e. p. s. profusa' disciplicet propter incommodam verborum collocationem, asyndeton enim postulat opposita iuxta se posita (nec cruor, sanies ferrum maculavit). Repetenda est emendatio ex Lucano, qui Senecae locum sic circumscripsit Phars. I, 614:

Nec cruor emicuit solitus: sed *volnere largo*
diffusum rutilos *dirum* pro sanguine *virus.*

Et v. 345 Seneca ipse:

Vtrum citatus vulnere angusto micat,
an lentus *altas* irrigat plagas cruor?

in lectione Etrusci: *turpi se* latere: *turpis est,* Peiper monuit.

Versuum ordinem in hac descriptionis parte turbatum sic restitui posse puto:

133—134 (prima — herbas)
146—148 (taurus — iuvencos)
145 (incubant — relictae)
135—144 (colla — armo)
149—153 (non lupos — veneno)

Oed. 875 sq. saeculi crimen vagor,
odium deorum, iuris exitium sacri,
qua luce primum spiritus hausi rudes
iam morte dignus.

Hoc igitur dicit, nunc demum totius immanitatis scelerum a se inscio perpetratorum se conscium esse factum, inde a prima vitae luce deis se exosum fuisse. Iam flagrat desiderio, tanta flagitia tandem aliquando expiandi supplicio quodam voluntario. Ita pergit:

redde nunc *animos acres* (*parens* A),
nunc aliquid aude sceleribus dignum tuis.

Interpolator suo more vitium vitio obtexit. Parentem non potest invocare Oedipus, reliqua sententia non item ad eundem relata. N. Heinsius coniecit: animos *pares,* scilicet eos quibus illa scelera perpetrasti; at inscius perpetravit neque, si Laii caedem exceperis, ulla animi ferocitate abreptus; Buechelerus: a. *feros* vel *truces* quod eodem fere redit. Id vero debent significare regis verba, ut seram aliquando poscat poenam. Quare tale quid traditis verbis latere suspicor:

redde nunc *tandem vices*

vel etiam: redde nunc, anime, *has vices* (i. e. horum scelerum poenas.) Animum adpellat ut v. 952: cunctaris anime?

Quas deinde poenas sibi irrogaverit, nuntii narratione (915—979) edocemur, ubi v. 956 egregia Madvigii coniectura Leonisque invento non minus ingenioso pulcherrime emendatus est: *di* (codd.: hi) maritales, *satin? (statim* codd. cum sequentibus coniunctum). Addo quae ad tollenda in proximis vitia addenda sunt. Nam et v. 959 dittographia est non ferenda verborum v. 962 sq. (at contra — steterunt) et *eruentis* v. 961 inepte dictum est de eo qui in eo est ut eruat. Quare scribas expulso v. 959:

958 ardent minaces igne truculento genae,
960 vjolentus audax vultus, iratus ferox

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tantum *fur*entis; gemuit et dirum fremens
manus in ora torsit.

Possis etiam: tantum *min*antis, vel: tantum *vov*entis.

Thyestes 59 sqq.: ignibus iam subditis
spument aena, membra per partes eant
discerpta, *patrios* polluat sanguis focos e. q. s.

patrii foci sunt patris. At patrui i. e. Atrei focos vult Furia fratris filiorum sanguine pollui. Scribe igitur: *patruos* polluat s. f. Cf. Hor. c. III, 12, 2: patruae verbera linguae; alia.

Ibid. 671 sqq.: errat antiquis vetus
emissa bustis turba et insultant loco
maiora notis monstra; quin *tota* solat
675 micare silva flamma, et excelsae trabes
ardent sine igne.

Scribendum *tac*ita (vel t*ec*ta). In eo nimirum vis cernitur miraculi, ut ardeat silva sine flammis. Quemadmodum sine igne ardent trabes, sic silva micat obtectis vel opertis flammis.

HO. 123—130 sic scribendos censeo:

stamus, nec patriis messibus heu locus,
*s*et silvis dabitur lapsaque sordidae
125 fient templa casae; iam gelidus Dolops
hac ducat pecudes qua tepet obrutus
stratae qui superest Oechaliae cinis.
illo Thessalico pastor *inops loco* (codd: in oppido)
indocta referens carmina fistula
130 cantu nostra canet tempora flebili.

Stamus recte interpretatus est Birtius collato v. 353 (nempe cum staret parens i. e. viveret) et *set* pro *et* idem restituit neque ad id refellendum satis idonea sunt quae Tachau Philol. 46, 379 contra dicit; 128 pro *illo* scripsit Leo de coniectura Wilamovitzii *ipso;* me offendit oppidi nondum stantis sed deleti et cinere obruti commemoratio; in pristino oppidi loco, non ipso in oppido pastoris fistula canet.

Ibid. 458: habuere motum saxa, discussi fores;
umbrae stetistis et mea iussi prece
manes locuntur e. q. s.

Birtius coniecit: discussi *arbores*, V*n*dae stetistis; Leo: discussi *inferos*, Vmbrae st. Mihi scribendum videtur:

discussi fores Vmbr*asque Di*tis

i. e. fores regni umbrarum. Cf. 1061 Taenarias fores, 1141 laxabit atri carceris iamiam fores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tantum *fur*entis; gemuit et dirum fremens
manus in
Possis etiam: tantum *min*antis,

Thyestes 59 sqq.: i
spument
discerpta,
patrii foci sunt patris. At patrui i. e. m sanguine pollui.
Scribe igitur: *patruos* polluat s. f. Cf. linguae; alia.

Ibid. 671 sqq.: e
emissa bu
maiora n
675 micare sil
ardent si
Scribendum *tac*ita (vel t*ec*ta). t ardeat silva sine
flammis. Quemadmodum sine igne ard el opertis flammis.

HO. 123—130 sic scribendos c
stamus, n
*s*et silvis
125 fient tem
hac ducat
stratae q
illo Thess do)
indocta re
130 cantu nos
Stamus recte interpretatus est staret parens i. e.
viveret) et *set* pro *et* idem restituit n sunt quae Tachau
Philol. 46, 379 contra dicit; 128 pro movitzii *ipso;* me
offendit oppidi nondum stantis sed del n pristino oppidi
loco, non ipso in oppido pastoris fistul

Ibid. 458: habuere n
umbrae st
manes loc
Birtius coniecit: discussi *arbores*, V Vmbrae st. Mihi
scribendum videtur:
discussi f
i. e. fores regni umbrarum. Cf. 1061 T eris iamiam fores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf